DE ANIMI PATHEMATUM IN ANIMALEM OECONOMIAM EFFICACIA...

Carlo Zille

DE
ANIMI PATHEMATUM
IN ANIMALEM OECONOMIAM
EFFICACIA ATQUE EFFECTIBUS

Specimen Inaugurale

QUOD

AD LAUREAM MEDICINAE

RITE CONSEQUENDAM

IN CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE PROPONIT

CAROLUS ZILLE

PATAVII
EX TYP. CRESCINI
1846

542

Neminem profecto latet maximam esse affectionum animi in animalem oeconomiam potestatem; easque modo morbos parere, modo illos praevertere atque sanare. Jam vero ex mutua illa positus abdita agendi ratione, qua corporis animique communio continetur, seguitur ut variae corporis conditiones animum varia ratione afficiant, et ex variis animi affectionibus atque perturbationibus pluribus modis corporis diversae functiones incitentur perturbentur, vertentur. Quibus animadversis ad hanc maximi sane momenti in medicina facienda quaestionem animum referre statui, quamobrem muneri medicinae candidatis in assequendis Doctoris insignis a sapientissimo studiorum nostrorum instituto imposito publica hac disseptatione satisfaciam.

Veruntamen ut via et ratione procedam disquisitionem omnes dividam in partes tres. In earum prima animi affectiones, et illarum in animalem aeconomiam noxia actia exponentur, in altera quibus modis earum impetum, aliquatenus praevertere atque cohibere, noxiisque effectibus occurrere possimus, indicetur; in tertia demum quaenam inde redundare possit tum ad arcendos morbos, tum ad sanandos utilitas, sedula investigetur. Ne tamen

longiorem, quam par est orbis humanissimi auditores molestiam facessam, et ne academicae disceptationes limites praetergrediar, primas duas partes breviter in praesentiarum adumbrabo; tertiam autem minutim penitusque perscrutandam, quod adhuc factum esse haud scio, futuris meis studiis reservo.

Principia autem animadvertendum est nonnullos auctores altius rem repetentes differentiam statuerem inter affectus et pathemata. Affectus appellant proclivitates a corporis diverso organismo vel temperamenta proficiscentes; pathemata autem illas perturbationes quae data occasione, ex illis proclivitatibus oriuntur: ac proinde affectus ad pathemata similem rationem habere putant, quam in medicina causa remota praedisponens ad proximam. Neque ab hac opinione requidem ipsa abludit sententia Zimmermanni, qui illud etiam addit, quod plures affectus una consistere possint non autem pathemata.

Veruntamen ut in hac disquisitione salebras, quoad fieri potest, vitemus, praestat, quae magis perspecta sunt atque in aperto posita consectando, distinguere sensum illum voluptatis vel malestiae qui in anima excitatur ab actione stimuli vel externi vel interni in aliquam sensiferam corporis partem, ab illis animi affectionibus quae vulgo pathemata audiunt. *Sensu et voluntate* (Hallerus ait) *natura animalis propria continetur. Voluntas est actio animae qua aliquam suam conditionem praefert alteri conditioni.*

Animi autem adfectus vel pathemata cum praedicto Hallero appello *vehementiores quasi concitatae mentis fluctus, quibus ad obtinendos fines acrius incitatur.* Alia autem pathemata lente operantur, alis contra celeriter atque in promptu geruntur. Illa animalem oeconomiam pedetentim excedunt, et destruunt; haec citius atque vehementius parturbant, quare mors ipsa aliquando extemplo sequitur

Ad haec pathemata omnia in duas classes a Platnero atque a plerisque aliis auctoribus post illum dispertiuntur: in ea nimirum quae vim vitae efferunt aute intendunt, et in ea quae eamdem deprimunt. Neque tamen omnes corporis partes aeque vel excitant, vel deprimunt, sed aliquas praesertim diligere apparent; quapropter aliud in systema sanguiferum suam praesertim vim exerit, aliud in nervosum aliud alio; et sepe numero pluribus, variisque modis, immo aliquanda contrarie diversas partes afficere videntur. Itaque illae concitationes, atque depressiones rectius, ni fallor, perturbationes incitamenti vel aucti vel imminuti appellandae sunt.

Caeterum pathematum doctrina oppido densa caligine obruitur, neque praeter eorum conspicuos effectus multa sunt, quae firmis fundamentis suffulta de illis adhuc prodita sunt. Neque vero effectus (quorum perspicentia praesertim medicorum interest) semper ita examussim definiuntur, ut nullus in iis aestimandis ambiguitati relictus sit locus. Jam vero ex eodem ipso pathemate pro varia corporis condictione plus minusve diversi effectus oriuntur, qui etiam nonnunquam speciem ad similitudinem habent eorum qui alius diversis pathematis proprii sunt Inde conficitur, ut qui magis exquisita immaginandi vi, et alacriori nervorum potestate pollent, ii facilius ab animi affectionibus corripiantur, illarumque actionem acrius persentiant; quare animi affectiones validiores, atque magis intentae in iis qui plus ingenio valent, qui sanguine abundant atque majoribus viribus instruuntur, in iis effectus pathematum excitantium, caeteris paribus, vehementiores sunt ac magis perturbati ac periculi pleni.

Praeterea qui ex aliqua parte laborant, magis proclivus sunt ad illas animi affectiones quae quadam peculiari sua actione partem illam prae caeteris diligunt, et ab ipsis magis laeduntur.

Quae cum ita sint, nihil est cur miremur si in effe-

ctibus pathematum referendis multa identidem in auctoribus observator varietas Atqui etsi diversa patematis vis, ac diversa corporis conditio, aliquatenus effectus vertant, tamen omnium effectuum collectio etsi aliquam varietatem contineat, aliquam nihilo secius generalem faciem pathematis, onde efficiuntur, praeferunt Quapropter haud abs re esse arbitratus sum, quae de singularum animi affectionum notis clarissimi Viri prodiderunt inter se comparando, ex illis potiora aliqua excerpere et praecipua aliqua pathemata seorsim, tum quoad illorum externam faciem, tum quoad illorum in animalem oeconomiam actionem si minus fuse ut par est, ne nimis in longum abeam, promera saltem quasi praeteriens perlustrare. Qua de re illud generatim minime praeterendum esse censeo, quod nonnumquam fieri observatur, ut aliquis morbus a quodam animi pathamate ortus, post quam per aliquod tempos induciias fecerit ita ut omnia abivisse videretor, iuterum in conspectum veniat quad illud pathema, qaod ejos morbosae affectionis caussa fuerat, renovatur. Id autem praecipue osuvenit in nervorum aegritudinibus.

Inter excitantia pathemata prima ferunt gaudium et ira. Gaudii tres gradus distinguere oportet, scilicit quando mite est, quo in casu laetitia plerumquo vocari solet, quando aequo majus, quando demum vehemens inopinatum, ac subitum.

Laetitia vitae vim extollit, caecae perspirationi, caeterisque corporis functiooibus favet, sanitati et longaevitati confert, ideoque omni tempore utilis est deputanda. Secus gaudium, quod pro varia sua vehementia plures plus minus graves perturbationes excitat, quamobrem quae affectio ad jucundam vitam comparata esse videbatur, ea in maximum detrimentum convertatur. Si gaudium neutiquam adeo vehemens sit, cachinnos movet ad cantum, ad clamores, ad saltationes, atque ad alios inordinatos atque inconcinnos corporis motus incitat, faciem rubore suffun-

dit aestum auget, lacrymasque singultibus admixtas identidem expromit, quare varia ratione pro corporis varia conditione animalem oeconomiam turbat.

Quod si adeo vehemens fuerit, haemorrhagiaa varias febrem acotam, animi deliquium epilepsiam, maniam et mortem ipsam extemplo pro gaudii illius vehementie atque pro varia corporis conditione gignere potest. Hinc historia e Tito Livio refertur duarum Romanarum mulierum, quae ex improviso adventu filiorum, quos mortuos jam in Cannensi clade existimabant, mortuos extemplo concidisse. Ita pariter mortem obivisse ferunt Dionysium seniorem Siracusae tyrannom, et Sophoclem ob inopinatum nuntium allatum alteri de victoria in ludis olympiis, alteri de magno plausu populi suae tragediae.

Plurimas alias ejusmodi historias brevitatis caussa silentio praetereo. Id autem fieri Sanctorius et Cheyn putant ex nimium aucta perspiratione alii a Syncope ob sanguinem ad extrema vasa pulsum neque ad cor redeuntem. Hallerus vero ad illam sententiam vergit, ut putet vel suspicietur mortem illam subitam ad apoplexiam referri debere ea impetu sanguinis magna copia od cerebrum affluentis. Veruntamen, et ista opinio non mediocribus difficultatibus laborat. Itaque ipse Hallerus fateri cogitur non *satis* novisse *qui id fiat*. Caeterum laetitiam gaudiumque alii o prima hujus affectionis actione in cor petierunt, alii primorem hanc actionem ad cerebrum retulerunt; quamobrem illi per stimuli sanguinei perturbatienem, hi vero per perturbatam vim motricem nervorum effectua istius affectionis explicare conati sunt. Atqui nonne aptius fortasse effectus illi explicarentur, si spinalis medulla primitus a praedicto pathemate ufici existimaretur? Nonne etiam ex varia ejusmodi spinalis medulla affectiane caetera omnia pathemata satis commode expheari posseat? Si istius quaestionis latebrae sulerti animo introspiciantur, fortasse ejusmodi opinio non longe a vero abhorrere intelligitur.

Laetitiae e regione opposita est tristitia, gaudio moeror. Tristitia lente progreditur, nervorum potestatem videque vim vitae deprimit, caecam perspirationem minuit, cohibet, turbat; motum sanguinis retardat; unde difficilis lentaque respiratio, frequentia suspiria; in somniam parit; ciborum appetentiam aufert, illarumque digestioni officit.

Hinc multae atque saepe adeo graves affectiones oriuntur: scilicet obstructiones in imo ventre, varii generis cachexiae atrophia. febris hetica, melancholia, in faeminis praesertim menstrui suppressio, chlorosis, hysteria; in viris hypocondriasis. Ad haec pathema istud febres omnes exasperat, et salutaribus Naturae conatibus obstitit, virium dejectionem auget, incitamentum vertit.

Corpus praeterea magis paratum reddit ad maligna et contagiosa miasmata. Maeror autem adeo vehemens et subitus valde animalem aeconamiam turbat, et plures gravissimus affectiones et mortem ipsam extemplo afferre valet Habemus a Tissatio historiam cujusdam viri qui ob conjugis obitum astmate de repento correptus fuit, cui cum aeria aliqua remedia exhibita fuerint, biduo post mortuus est. In ejus autem cadaveris perlustratione inditia gravis inflammationis in pulmone observata fuere et cor disruptum. Narrat Zimmermannus quemdam anglum ad conjugis sepulchrum accedentem, artuum vi prostrata, in terram concidisse, et omnem in posterum loquelae usum amisisse. Ex tristissima inopinato nuntio mortem puncto temporis sequutam fuisse plurimae ab auctoribus referunt historiae. Ex nimio maerore minus periculum, quam ex nimio gaudio, et facilius ex hoc quam ex illo mors subita cautingit; cujusrei caussa Zimmermannus illud esse putat quod ex moemore retardatur quidem motus sanguinis, at neutiquam perturbatur quemadmodum ex gaudio. Refert etiam Meadius, plures mente captos, qui multis cito aucti opibus divites evaserat, quam qui in pauperiem

ex amissis fortunis lapsi erant, Hale medicum observasse.

Ira omnis perinde ac gaudio excitantibus pathematibus adnumeratur, neque tamen, veluti illud, cum ullo jucunditates sensu conjuncta est. Ex ira omnes fere animi corporisque vires incondite excitantur, cor validius contrahitur, et incrementum accipere videtur, pulsus celerior fit, corpus rubore suffunditur turget, aestus augetur, feroces oculi prominent, scintillantes sanguine suffusi, musculi intendantur, unde temporarium robur corpori accedit Ex nimis concitato, atque incondito sanguinis motu haemorragiae in pluribus corporis partibus oriuntur, lividae maculae in cutis superficie enascuntur, et spasmo identidem oborto sanguine haeret, facies pallescit, balbutie lingua tremore artus tentantur, perspiratio augetur; ex quibus omnibus non raro extit epilepsia et lethalis apoplexia.

Praeterea quum hoc pathemo jecur affinitate quadam electiva diligere praecipue videatur, hinc hepatitidem natam esse, icterum, febrem acutissimam, choleram, valvulam funestum clarissimi auctores retulerunt.

Metus effectus valde accedunt ad illes tristitiae, attamen cum in metu tristitiae quoddam adjectum sit incitamentum, id circo ex diversa uppositarum potentiarum actione eo magis vires perturbantur atque prosternuntur. Metus vim cordis imminuit, pulsum debilem et inordinatum reddit. Pallor, et animi deliquium hanc affectionem comitantur, nec non membrorum rigiditas. Hoemorrhagias, secretiones lactis et sudoris cohibet, harum vero novissimam vel auget interdum sed tunc sudor est frigidus, similis illi, qui a syncope, et a gravi debilitate precedit. Diarrhaea, icterus, canities, vigiliae, anxietates, hanc animi affecticonem sequuntur. Ad haec flatus, ructus aliaeque aegritudines oriuntur; quae indicant stomachum, et intestina naturalem vigorem amisisse Sed et melancholiam

inde natam esse, delirium paralyses, epilepsiam, apoplexiam amaurosim et mortem ipsam multi auctores prodiderunt, omnesque norunt, quantum valeat metus ad contagiorum vim acuendam, latiusque fundendam.

Terror a metu distinguitur ex eo quod metus est absentis mali formido, terror autem praesentis, subiti, praecipitisque periculi perceptio, qua animus per plures inordinatos corporis motus illud omni ope arcere conatur. Multa in hoc pathemata cum ira communia sunt. A terrore vires augentur vehementes ac validissimi motus in universo corpore et in corde excitantur. Cor mobiliter palpitat, arteriarum pulsus frequentes, inordinati; omnes functiones turbatae, inde multa oriuntur mala et praesertim epilepsia mania, inflammatione, et quemadmodum notarunt Lancisius, Baillie, aliique, cordis aneurisma, et aliquando mors ipsa.

Amoris suavem sensum in animo producentis effectus maxime ad illos gaudii similitudine accedunt. Quoties vero, quod amatur aut habere nequit, aut amittitur; tunc amor graves morbos parit communes fere cum illis quos maeror adducit, insomnium nimirum, languorem cibi fastidium, dementiam, lentumque demum interritum. Vehemens alicujus rei desiderium effectus propemodum similes gignit.

Odium iis pathematibus adnumeratur, quarum actio vitalem potentiam lente prosternit, et cujus effectus non valde ab illis ex invidia abhorent. Ex odio insomnia contingit, cibi fastidium, stomaci languor, cachexia, macies. Nonnunquam homines isti lenta febre absumpti ad mortem ante diem properant.

Reliquae animi affectiones multa cum jam descriptis communia habent, quare ex iis, quae adhuc sunt exposita, facile et ipsae explicari queunt, et earum effectus cognosci; quapropter brevitatis caussa illas silentio liceat praeterire.

Quoad alteram meae disceptationis partem, nempe quibus praesidiis pathematum impetum occupare possimus, illorumque effectus praevertere, et qua ratione affectionibus, quae inde existunt occurendum, sit pauca summatim brevi oratione perstringam. Praesidia quidem alia ad praecellentia religionis praecepta alia ad precepta Philosophiae pertinent; qua in re olim Stoicorum schola excelluisse inter omnes constat. In his etiam valent longa consuetudine adversus inopinatos animi impetus firmatum vitae institutum.

Sed etiam corporis conditioni magna habenda est ratio, quapropter oppido concinne ait Hippocrates, *mens sana in corpore sano*. Qui in caeteris omnibus ita se praestiterunt, ut morbus quam longissime poterant arcerent, ii minus vehementioribus animi affectionibus obnoxii sunt. Hac de re illustre habemus exemplum in immortali tractatu *de vita sobria* Ludovici Cornelii Veneti, saluberrimo enim hoc vitae genere non solum coepus integrum atque incolume ad longaevitatem paravit; verum etiam ita animum suum adversus patematum tempestates munivit, ut et difficilius ab ipsis corriperetur, et minus ipsa persentiret. Quapropter cum grave infortunium illius familiae accidisset, cujus caussa frater suus dolore obrutus mortem obiit ipse illud satis tranquille tulit, ita ut nullam inde passus sit suae salutis perturbationem. Affectionibus vero, quae ex pathematum actione reliquae sunt, auxilia iis similia sunt accomodata, quae eisdem morborum formis ex aliis remotis caussis proficiscentium mederi cognoscuntur; habita tamen semper ratione verae caussae scilicet illius pathematis, cui ortum suum affectiones illae acceptum referunt; nam inde aliqua nonnumquam naturae varietas existit simili externa facie donata. Quibus breviter animadversis sequentibus propositionibus finem dicendi faciam.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Nunquam specifico, sed electivo modo tantum agunt remedia.

II.

Hysteria saepe ab incitantium usu insanabilis evadit.

III.

Nullum remedium tot, tantasque utilitates praebet, quam Tartarus emeticus.

IV.

Vita sobria magnum adversus noxium pathematum impetum praesidium.

V.

Apyrexiae tempus in febribus intermittentibus, aeque ac accessus studium medicum attentum postulat.

VI.

Venae sectio, ubi indicata sit, quo amplior, eo magis indicationibus therapeuticis respondet.

VII.

Hydrops phlebotomia interdum curatur.

VIII.

Helmenthiasis omnes fere morborum formos mentitur.

IX.

In nostro climate post morsum viperinum majus damnum provenit a pavore.

99 33 21